



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Regia Via Crvcis

Haeften, Benedictus van

Antverpiæ, 1635

Cap. III. Non trahenda, sed ferenda Crvx; spernenda quoque, quæ ob illam
ingeruntur opprobria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46093](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46093)

CAPVT III.

*Non trahenda, sed ferenda CRVX; sper-
nenda quoque, quæ ob illam ingeruntur
opprobria.*

Excamus ad eum extra castra, impro-
perium eius portantes. *Heb. 13, 13.*

*Hanc CRVCIS ipse viam, populo plaudente,
præiui,
Et pudor est Domini ponè subire pedes?*



IS auditis animaduvertebat
Staurophila, vix posse se desti-
nata CRVCIS iugum detrecta-
re. Proinde veluti conuicta, ac-
cinxit se ad tollendam quam
Christus monstauerat CRVCEM. Sed vt re-
stitat semper refuga tristium natura, callidè
meditabatur tam parum oneri se submitte-
re, quàm posset. Quid igitur fecit? iniecto
fune non tam tollere, quàm per terram tra-
here post se CRVCEM cœpit. Et quia vide-
bat fore vt aliorum oculis notaretur, & sub-
indè etiam sannis exciperetur, faciem velo
cooperuit; erubescens nimirum oppro-
brium CRVCIS. Videbat hæc Christus, &

I s pri-

primùm quidem dissimulare visus, mox eam
ita redarguere occœpit.

Et quid hoc, Staurophila? Anne sic CRV-
CEM te ferre arbitraris, quã velut rem igno-
miniosissimam, ne contactu quidem digna-
ris? Recordare, obsecro, quòd non dixerim,

Qui vult post me venire, trahat vel ducat,

^a Matth. sed ^a tollat, ^b baiulet, & ^c accipiat CRVCEM

16,24.

Marc. 8,34

Luc. 9,23.

^b Luc. 14,

27.

^c Matth.

10,38.

suam, & sequatur me. Quã loquendi formã
quid aliud innuere volui, nisi CRVCEM, vbi
cumque illa inuenta fuerit, vt pretiosum pi-
gnus, è terrã subleuandam, & in humeros
accipiendam? non secus ac matres charissi-
mas proles magno gaudio brachiis imposi-
tas gerunt.

Non facillè inueniebat Staurophila quid
ad hæc responderet, sed tepidã tantùm ac
trepidã voce aiebat, se nimio horrore ad
CRVCIS onus expauisse, & solo aspectu adeo
territam, vt subleuare nõ auderet. Cui Chri-
stus: Immodica hæc formido non è CRV-
CIS mole, sed Cruciferæ prouenit opinione.
Non enim malum est, malum pati; at nesci-
re malum pati, hoc demum malum est.

A Kemp.
lib. 3 de
Imit. Chri-
sti, cap. 19.

*Quantò melius ad patiendum te disponis, tan-
tò sapientiùs agis, & amplius promereris.* Sed
quis hoc poterit? inquiebat Staurophila.
Nemo non, inquiebat Christus, qui non in
se, sed in Deo confidit. Fateor equidem non

est secundum hominem CRUCEM portare, Idem l. 2.
 CRUCEM amare, corpus castigare; honores fu- cap. 12.
 gere, seipsum despicere, & despici optare, & ni-
 hil prosperitatis in hoc mundo desiderare. Si ad
 teipsam respicis, nihil huiusmodi ex te poteris;
 sed si in Domino confidis, dabitur tibi fortitu-
 do de celo.

Sperare quidem hoc possum, inquebat
 Staurophila, cum magna sit misereris Dei
 benignitas; sed abstrahit me, ut verum fa-
 tear, tam arduæ CRUCIS horror. Cui Chri-
 stus: Virgam olim Moyses in colubrum ver- Exod. 4. 3.
 sam usque adeo exhorruit, ut plane fugeret.
 Verum cum iussu Dei manum extenderet,
 apprehenderetque caudam eius, versa est in
 virgam, quam solito tulit more; eaque po-
 pulum e miserrima seruitute per mare ru-
 brum traduxit. CRUX & tribulatio virga est,
 quam si in terram proicias, nihil aliud quam
 colubrum existimabis, a quo morsum mor-
 temque reformidans, fugam capeffles. At si e
 terra sustuleris, manuque veritatis per cau-
 dam apprehenderis (optatissimum scilicet
 tribulationum respiciens finem) iam CRU-
 CEM virgam Moysis facile experiere, qua a
 peccati seruitute in caelestem te ducat Ieru-
 salem. Respice ergo caelum, quod CRUX du-
 cit, respice aeternam beatitudinem CRUCI
 repromissam. Qui fluuij vada pertranseunt,
 oculos

oculos ad cælum, vel litus attollere monentur, ne aquarum fluxu turbati corruant. Tribulationum pelagus transmittere omnino oportet, ne autem mirabiles elationes maris cerebrum nimium obturbent, sursum ferenda

2. Corinth. 4, 18. *da corda, cælum intuentium, non contenta quæ videntur; sed quæ non videntur quæ videntur enim temporalia sunt, quæ non videntur, æterna.*

Et quid est, quæso, quod digito vix vno CRUCEM trahas? Si vnum tantum alterumve hominis membrum æternam afficiendum esset beatitudine, sufficeret fortè vnâ manu aut digito CRUCEM tulisse: sed cum totum hominem saluum fecerim, totum perirem gloriâ, in quâ *cor & caro exultabunt in Deo* *vinum*, remunerare statuerim, quidni totum CRUCE affligatur, totus CRUCE oneretur? Neque verò nescis, Staurophila, me totum id quod pro hominibus assumpsi, totum hominibus redimendis impendisse. Ut quid igitur patiar tam parce mihi seruire, quasi satis foret; qualitercumque CRUCEM post se trahere? Aliter sanè amor & labor meus videtur compensandus. Strictum hinc tenebat Staurophila silentium, nec hiscere contra audebat.

Christus verò alium non leuem castigans errorem, ita rursus inquit: Cur, quæso, adduxisti

xisti velum super faciem tuam? an Crucigeram videri ignominiosum ducis? Ita fanè, inquiebat Staurophila, *operuit confusio faciem meam*, ecce enim facta sum opprobrium vicinis nostris, *subsannatio & illusio his qui in circuitu nostro sunt*. Nec est vt multis exponam: etenim *tu scis improperium meum, & confusionem meam, & reuerentiam meam*. Cui Christus: Eia, inquit, ad me oculos conuer- te. Nónne ego, gloriâ & honore coronatus, *proposito mihi gaudio sustinui CRUCEM, confusione contemptâ?* An non propter te sustinui opprobrium? propter te quoque factus sum *vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis?* Certè cum educerent me extra portas ciuitatis sanctæ baiulantem mihi *CRUCEM, omnes videntes me, deriserunt me, subsannauerunt me subsannatione, frenduerunt super me dentibus suis*. Et tu nunc modicam infamiam *CRVCIS* reformidas, quasi vile & infame foret participium *CRVCIS* meæ: cum veri mei discipuli hoc ipsum sibi duxerint gloriosum. Quare non dubitauit Apostolus Paulus ita exhortari: *Exeamus ergo ad eum extra castra, improperium eius portantes*.

Rèspodit verò Staurophila: Ferrem equidem non illibenter, mi Domine, tecum & pro te *CRVCES* & ignominias, vt multi Martyres

tyres fecerunt, sed illud pessimè me habere
quòd velut publica peccatrix censear, quia
delictis meis CRUCEM hanc commerita fu-
rim. Proinde etiã atque etiã rogo te

Pfal. 42, 1. *Indica me Deus, & discerne causam meam de*
Pfal. 118, *gente non sanctã, neq tradas rœ calumniari-*
121. *bus me.*

Cui Christus: Quid tum? Nõnne & ego
Rom. 8, 3. *qui peccatum non feci, veni in similitudi-*

Marc. 15, *nem carnis peccati? nõnne cum iniquis reputa-*

28. *tus sum? An non cum duobus latronibus*
Luc. 23, 32 *eductus, medius inter eos crucifixus sum?*

Isai. 53, 6. *Nõnne in me Pater posuit iniquitates omni-*
vestrũ, & existimatus sum tamquam percus-
sus à Deo? Et tu nũc, quasi iustitiam fece-
ris, exhorrescis inter peccatores numerari.

Ierem. 3, 1. *An ignoras quod fornicata sis cum amatori-*
bus multis? quòd fregeris iugum, & abieris

Iob 15, 16. *vaga in viam cordis tui, ita vt velut aquam*
biberes iniquitatem? Et nunc velut innocens
conquereris te nonnihil ludibrio haberi, cum

2. Corinth. *iam pridem edocta fueris me sequi per glo-*
6, 8. *riam & ignobilitatem, per infamiam & bo-*
nam famam. Si me attendis, videbis sanè quòd

August. *ubi humilitas, ibi maiestas; ubi infirmitas,*
Serm. 20. *ibi potestas; ubi mors, ibi vita. Si ergo vis ad*
de Verb. *illam venire, noli ista contemnere, noli erube-*
Apost. *scere; ideò enim in fronte, tamquam in sede pu-*
doris, signum CRVCIS accepisti.

Non

Non sat animi habebat Staurophila, vt his rationibus acquiesceret. Proinde, fateor, in-
 quiebat, quòd coram te, Domine, multis pec-
 catis obnoxia sim, non tamen iis quæ publi-
 cè oculos hominum offendant, quæque ipsi
 me designasse clamant. Quid tu semper, aie-
 bat Christus, hominùm attendis dicitur?

Gloria nostra hæc est, inquit Paulus, testi-
monium conscientia nostra. Benè ergo sibi con-
sciis, falsis non debet moueri, nec aestimare plus
ponderis in alieno esse conuitio, quàm in suo te-
stimonio. Ad hæc Staurophila: Vt cumque
 non reprehendat me cor meum, nec grauior-
 ris mihi conscia sim sceleris, durum tamen
 censeo inter flagitiosos publicè cenferi.

Eamdem, aiebat Christus, reiteras cantile-
 nam: & durum id esse non nego, sed tamen
 tolerabile. Neque similitudo CRVCIS, quàm
 tam boni quàm mali discruciantur, merito-
 rum probat æqualitatem. *Quicumque enim*
boni maliq; pariter afflicti sunt, non ideò ipsi
distincti non sunt; quia distinctum non est
quod utrique patiuntur. Nam sicut sub vno
igne aurum rutilat, palca fumat; & sub ea-
dem tribulâ stipula comminuuntur, & fru-
menta purgantur, nec ideò cum oleo amurca
confunditur, quia eodem prali pondere expri-
mitur; ita vna eademq; vis irruens bonos
probat, purificat, eliquat; malos damnat, va-
stat,

2. Corinth.
 1, 12.
 Ambros.
 de Offic.

August. l. 1.
 de Ciuit.
 Dei cap. 8.

stat, exterminat. Vnde in eadem afflictione mali Deum detestantur, boni autem precantur & laudant. Nam pari modo exagitatum & patorem suum exhauiat cænum, & suauiter fruat grat vnguentum.

Nescio quid dicam, aiebat Staurophila. CRUCEM ferre, & passim ab omnibus subfannari, duplex malum. Imò vnicum, aiebat Christus: hæc enim altera CRVCIS pars est, sub eâ, & cum eâ contumeliam patitur.

2. Timoth. 3, 12. *Omnes enim qui piè viuere volunt, persecutionem patientur. Et commune est in hoc saeculo, vt ambulans recto itinere, & timens Deum, despiciatur ab eo qui infami graditur viâ. Sed relinque mundo iudicia sua, & vanas opinioniones, tu me sequere. * Si de mundo esses, mundus quod suum est diligeret; nunc autem odit te mundus, quia elegi te de mundo, vt sequeris me, & CRUCEM tuam baiulares: & hoc scito, quia me priorem odio habuit, & irrisit. Propterea enim Iudei deditâ operâ, istâ morte CRVCIS interimere me voluerunt, vt probrosum quoque efficerent; vt, etsi nemo propterea à me abstinere quòd occisus essem; abstineret tamen vel idcirco quòd hoc mortis genere occisus essem. Sed hoc ipsum diligentes me magis allicit, quòd propter ipsos plenam dedecore mortem elegerim. Atque hæc ipsorum est in ignominia*

Prou. 14, 2. *lo, vt ambulans recto itinere, & timens Deum, despiciatur ab eo qui infami graditur viâ. Sed relinque mundo iudicia sua, & vanas opinioniones, tu me sequere. * Si de mundo esses, mundus quod suum est diligeret; nunc autem odit te mundus, quia elegi te de mundo, vt sequeris me, & CRUCEM tuam baiulares: & hoc scito, quia me priorem odio habuit, & irrisit. Propterea enim Iudei deditâ operâ, istâ morte CRVCIS interimere me voluerunt, vt probrosum quoque efficerent; vt, etsi nemo propterea à me abstinere quòd occisus essem; abstineret tamen vel idcirco quòd hoc mortis genere occisus essem. Sed hoc ipsum diligentes me magis allicit, quòd propter ipsos plenam dedecore mortem elegerim. Atque hæc ipsorum est in ignominia*

Ioan. 21, 22.

* Ioan. 15, 19.

Chrysof. Homil. 7. in Epist. ad Philip.

Propterea enim Iudei deditâ operâ, istâ morte CRVCIS interimere me voluerunt, vt probrosum quoque efficerent; vt, etsi nemo propterea à me abstinere quòd occisus essem; abstineret tamen vel idcirco quòd hoc mortis genere occisus essem. Sed hoc ipsum diligentes me magis allicit, quòd propter ipsos plenam dedecore mortem elegerim. Atque hæc ipsorum est in ignominia

minis

miniis consolatio, quòd mihi efficiantur
quàm simillimi.

Magna hæc, aiebat Staurophila, perfectio
est; nec omnibus, vti credo, communis: ego
verò infirma sum, nec tam alta præsumere
ausim. Ita est, inquiebat Christus, perfectio-
rum hoc studium est, sed ad illud omnes
omnino hortatus sum: *Estote perfecti, sicut*
& Pater vester celestis perfectus est. Et qui-
dam in patientiæ gymnasio non mediocri-
ter eruditus, ita scripsit: *Is qui ad placidissi-*
nam animi quietem atque ad Deum currit, die
omni, quo maledicta non sustinet, ingens de-
trimentum se sustinuisse arbitratur. Sicut enim
arbores, que à ventis agitantur, altioribus
semper radicibus nituntur: ita & qui in obe-
dientiâ degunt, validas atque inconcussas ani-
mas possident. Quàm vellem, aiebat Stauro-
phila, & ego tantum in VIA CRVCIS profe-
cisse, tantumque animi robur obtinuisse!
Confide filia, inquiebat Christus, primum
bonæ mentis signum est, virtutem concupi-
scere; crescente deinde desiderio, facile cre-
scet & studium. Si ergo ulterius optas in-
strui, audi eundem pietatis Magistrum:
Initium, inquit, beatæ tolerantia est, in amari-
tudine & dolore animæ ignominias suscipere:
Mediam verò, eas tolerare sine mærore: Finis
autem & consummatio, illas laudem existima-

Math. 5,
48.

Climach.
Grad. 4.

Idem Cli-
mach.
Gradu 8.

K

re.

*Ibid. pau-
cis inter-
iectis.

re. * Vidi ego tres vnà Monachos iniurijs
sectos, ex quibus vnus mordebatur quidem
iurijs atque perturbabatur, sed tamen in silen-
tio premebat iracundiam: alius verò ge-
debat quidem ex luctu suo, sed eius qui se ma-
dictis insectatus fuerat peccato angebatur: ter-
tius verò proximi tantum damna secum con-
uens, vim ardentium lacrymarum profunde
bat. Eratq; suauè spectaculum, timoris, & mo-
cedis, & charitatis operarios aspicere.



C A